

stalt zu entwehren, und abzuhalten, dasselb auch bey Vermeidung unserer höchsten Ungnadt und arbitrari Straff keines wegs zu underlassen. Wor- nach sich dan ein jedweber hat zu richten. Urkund unseres Handzeichens, und vorgetruckten Spurtsfürstlichen Secrets. Signatum in unserer Statt Bonn den 16ten Januarii, Anno 1656.

Maximilian Henrich,

Vt. Buschman,

(L. S.)

Petr. Burman.

Nr. 4.

Statuta Synodalia Maximiliani Henrici de 20. Martii
1662.

Pars II. Tit. 18.

de Testamentis et eorum Executione.

Caput II.

§. 1. Ecclesiastici in condendo testamento Ecclesiae et pauperum memores sint.

Meminerint ecclesiastici, quod singulariter lex charitatis exigit, ut ecclesiae et pauperibus beneficiant, proinde in suprema voluntate declaranda non p̄propinquitate et sanguinis inclinatione moveantur, sed Ecclesiae dei utilitatem pauperumque sublevamen sibi proponant.

§. 2. Amicis bona ecclesiastica non relinquunt.

Considerent etiam periculum suum, si mox ad tribunal Christi rapiendi, deque omnibus usque ad extremum quadrantem rationem reddendi facultates sibi creditas ex patrimonio Christi et bonis ecclesiasticis provenientes maluerint propinquis et consanguineis quam Christo et ejus Ecclesiae atque pauperibus relinquere.

§. 3. Seminarium archiepiscopale habeant commendatum.

Concilii Tridentini decretis conformiter Seminarium Clericorum seu Pastorum, Coloniae per decessorem nostrum Ferdinandum Archiepiscopum alias fuit institutum nonnullis annis redditibus assignatis. Quam piam pro totius nostrae dioecesis necessitate et utilitate intentionem promovere, seminariumque congruentibus redditibus ac proventibus dotari cupientes, illud ipsum inter caeteras pias causas et sancta opera omnibus testari valentibus commendamus.

§. 4. Et fabricam Ecclesiae metropolitanae.

Receptam pariformiter consuetudinem certum quid relinquendi fa-

bricae nostrae Metropolitanae, tanquam omnium per Dioecesin nostram matri Ecclesiae, Pastores et Vicepastores auditoribus suis notam faciant, Executoresque moveant, ne in legato hac solvendo negligentes sint.

Caput III.

§. 1. Quomodo Ecclesiastici testamenta sua condere debeant.

Archiepiscopali quidem privilegio venerabili Clero nostro in et extra civitatem nostram Coloniensem testamenta condere, et de redditibus etiam beneficiorum absque solemnitatibus a juri civili requisitis valide et licite disponere permittitur, inhaerendo tamen canonicis sanctionibus, decessorumque nostrorum statutis et ordinationibus volumus, ut omnes Ecclesiastici civitatis et dioecesis nostrae coloniensis testamenta sua in praesentia Notarii vel Pastoris duorumque ad minus testium condant, vel in scriptis voluntatem suam propria manu subscriptam, signatam et oclusam Notario vel Pastori coram duobus testibus exhibeant, et in charta hujusmodi contineri ultimam suam voluntatem declarent; Notarius vero aut Pastor in dorso chartae hunc actum scribat et subsignet: dispositiones aliter factas nullas et invalidas, legata tamen ad pias causas propria testatoris manu scripta vel subscripta sine Notario et testibus subsistere declaramus.

§. 2. Testamenta per Executores infra triginta et unum dies pro approbatione exhibeantur.

Ne testamenta Ecclesiasticorum casusque ab intestato diu detineantur et occultentur, interea vero haereditates expilentur, Executores post mortem Ecclesiasticorum (etiamsi eisdem de speciali gratia taxa nobis campetens remissa sit) testamenta infra triginta et unum dies Officiali ac Sigillifero majori exhibeant, approbationem petant, et juramentum de fideliter exequendo praesent: alioquin praeter multam decem aureorum per Executores solvendam, autoritate officialis et sigilliferi majoris Promotores officii et sententiarum Notarius elapso jam definito tempore haereditates consignent, et expensis earundem describant.

§. 3. Sedulo attendatur, ut testamentariae dispositiones adimpleantur.

Quandoquidem omnium ultimarum voluntatum et piam dispositionum supremi Executores et Tutores sunt Episcopi, per illos vel maxime providendum est, ut Testatorum ordinationes fideliter executioni demandentur; non raro autem accidat, quod tam Clericorum quam Laicorum extremae voluntates et testamenta ad pios etiam usus, legata et relicta dolosis machinationibus varie impediuntur, retardentur, aut in alios usus expendantur; idcirco Officialis et Sigillifer noster major sedulo advigilent accuratamque curam gerant, ut testatorum desiderio et voluntati plene satisfiat, nec ad pios usus destinata in alios impendantur.

§. 4. Quid ante testamentorum approbationem observari debeat.

Sigillifer noster major testamenta, codicillos et dispositiones Eccle-

siasticorum diligenter, examinet et inquirat, an in forma, institutione et legatis subsistant, quales sint haeredes et legatarii, an capaces et legitimi, vel in fraudem fisci concubinae seu spurii directe vel indirecte instituti: Si maturo examine praevio testamenta confirmanda duxerit, desuper officiali nostro fidelem relationem faciat, qui absque ulteriori inquisitione approbationem sub sigillo curiae et manu Notarii sententiarum expediri demandet.

§. 5. Tempus reddendarum rationum determinatur.

Executores intra triginta et unum dies post obitum defuncti numerandos statum haereditatis sub quadraginta aureorum sigillifero nostro majori solvendorum, neque sine expresso nostro mandato remittendorum vel moderandorum poena, statum haereditatis sive inventarium legale dicto nostro sigillifero exhibeant, consuetamque et ab Hermanno V. decessore nostro constitutam taxam juxta vires inventarii, solis funeralibus et debitis liquidis, vel infra mensis spatium liquidandis, detractis persolvant, et testamentum infra annum continuum a die mortis computandum exequantur, ac de executione per ipsos fideliter gesta legales rationes cum debitis justificationibus exhibeant: de annis vero gratiae et restantiis post earundem receptionem respondeant: anno elapso sigillifer noster executionem velut ad nos ipso jure devolutam suppleat: in grave enim pliarum causarum et creditorum damnum, opprobrium status ecclesiastici et dispendium salutis animarum vergit, quod Executores legalia inventaria exhibere, rationesque receptorum et expositorum multis saepe annis reddere negligant.

§. 6. Executorum infra annum executionem non facientium poena.

Omnes pariter testamentorum executores, qui intra annum executionem sibi commissam non perfecerunt, infra mensis spatium a publicatione horum nostrorum decretorum synodali coram officiali aut sigillifero nostro compareant, et computum legalem de rebus et bonis per eos receptis et expositis reddant, alioquin ultra poenam centum aureorum, quam elapso praefixo termino incurrent, ad excommunicationem contra eosdem procedemus.

§. 7. Bona Ecclesiasticorum ab intestato decedentium quibus cedant.

Si Clericus quispiam plane intestatus, vel sufficienti et legitimo testamento non condito decesserit, ejus haereditas per Notarium sententiarum, in praesentia tamen Promotorum officii describatur, ex beneficiis ecclesiasticis provenientia juxta ordinationem Hermanni V. per sigilliferum nostrum majorem administratur, solutisque funeralibus et debitis, ad usus pios in refrigerium animae defuncti a nobis praescribendos applicentur; patrimonialia vero haeredibus ab intestato relinquuntur.

§. 8. Executorum obligatio.

Executorum officium, quamvis passim appetatur, grave sane est et molestum: tenentur siquidem Executores non solum ultimam testatorum voluntatem accuratissime temporibus praescriptis exequi, verum etiam

in obligationem eorumdem succedentes, testamenta, quorum Executores deputati faere, debitas executioni promptissime demandare.

§. 9. Quid Executores circa funeralia et debitorum solutionem observare debeant.

Justam conquerendi creditoribus praebent occasionem Executores, dum statum et vires haereditatis defuncti ignorantibus multos minus necessarios sumptos in funeralia profundant, et sine decreto judicis propriis ducti affectibus, quia etiam proprio lucro moti nonnulla debita persolvunt; unde saepissime provenit, ut creditores privilegiati, tenuioris quandoque fortunae defraudentur. Gravissimae huic corruptelae imo manifestae iniquitati opportunum adhibere remedium cupientes, omnibus et singulis testamentorum Executoribus severissime inhiibemus, ne viribus haereditatis non perspectis, illis ad honestam sepulturam omnino non necessariis expensis eandem minuant, neque antequam legitimum inventarium confectum fuerit, ex illoque constiterit, quod haereditas omnibus debitis solvendis sit sufficiens, vel minutissimam etiam summam in cuiusvis quantumvis privilegiatissimi debiti solutionem absque ordinatione officialis nostri exponant: Contravenientes ad restitutionem factarum non necessariarum expensarum et pecuniae cuiusque creditori solutae teneri, et ultra multam lisdem pro qualitate transgressionis infligendam opportunis juris remediis volumus compelli.

§. 10. Officiali et sigillifero approbatio testamentorum committitur.

Archidiaconi eorumque Officiales ac Decani Collegiarum et Christianitatum examen testamentorum et approbationem sibi non arrogent, neque sub quocunque praetextu ultra iura ab Executoribus vel haeredibus exigant; vices enim nostras in approbandis et examinandis testamentis officiali et sigillifero private committimus.

Pars III. Tit. 7.

De congrua Pastorum sustentatione, Ecclesiarumque et aedium parochialium reparatione, tum aedificatione.

Caput I.

§. 1. Modus subveniendi Parochiis tenuioribus.

Sacrosancta Tridentina Synodus victum ac vestitum, necessariamque sustentationem Pastoribus et Vicepastoribus non deesse exoptans, his hoc decreto providit: „In parochialibus Ecclesiis, quarum fructus adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit „Episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen regularium, id „feri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per „parochianorum symbolo, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur „ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris ac parochiae necessitate „decenter sufficiat.“

§. 2. Assignatur tertia pars fructuum.

Nec non ut „beneficia ecclesiastica curata, quae cathedralibus, collegiatis seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, Westphälisches Prov. Städt. III.

„aut pijs locis quibuscunque perpetuo unita et annexa reperiuntur, ab ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum aut majori vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur; appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum iudicium deputatione et illorum inhibitionibus quibuscunque in praemissis minime suffragantibus.“

§. 3. Congrua portio a Pio V. determinata.

Praeterea, ut certius constaret, quid et quantum Pastoribus, seu Vicepastoribus, seu perpetuis vicariis parochialium Ecclesiarum, quae cathedralibus aliisque Ecclesiis, Abbatibus, Dignitatibus, mensis capitularibus, vel quibuscunque Monasteriis, Collegiis, beneficiis, aliisque locis pijs perpetuo annexa sunt, aut ab iis dependent, et vicaria operâ Sacerdotum saecularium vel regularium regi et administrari consueverant, pro portione annua sit assignandum, Pius V. sancivit, eam non debere esse majorem centum, nec minorem quinquaginta, scutorum annuorum summa, computatis omnibus, etiam incertis, emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis, nisi Vicariis plus, sive in quantitate aut quotu fructuum, pecuniaque numerata, fundo, seu alia re stabili assignari solitum fuisset.

§. 4. Praedicta portio ad centum imperiales declaratur.

Quoniam vero a tempore editae hujus Praeae constitutionis moecetae valor plurimum fuit immutatus, annonae, victus et rerum ad usum quotidianum necessariorum pretium valde crevit; hinc summam quinquaginta scutorum, qua non minorem, Pius, Papa V. Parochis, Viceparochis, aut Vicariis perpetuis et in cura animarum adjutoribus pro portione congrua voluit assignari, in civitate et dioecesi nostra coloniensi ad centum daleros imperiales declaramus et extendimus, nisi Parochiae magnitudo Nostro nostrive in spiritualibus Vicarii iudicio majorem summam exigeret.

§. 5. Quibus incumbat, idoneos Vicarios in Ecclesiis parochialibus constituere.

Quosdam Praelati aliive inferiores, quorum Monasteriis, Collegiis vel Praelatis Ecclesiae parochiales annexae sunt, idoneos ad curam animarum gerendam vicarios intra legitimum tempus non constituerint, nos illorum defectum supplentes autoritate nobis a concilio Tridentino attributa, de idoneorum vicariorum nominatione, et congruentis portiones fructuum assignatione providebimus; ne animarum cura negligatur, vel beneficia ipsa ecclesiastica debitis defraudentur obsequiis; appellationibus, privilegiis, exemptionibus quibuscunque, etiam cum iudicium specialium deputatione, et illorum inhibitionibus in praemissis nemini suffragantibus.

§. 6. Beneficia curata non uniantur.

Ut debitae Parochorum et Viceparochorum sustentationi melius im-

postarum prospectum sit, concilium Tridentinum statuit; „ut in unionibus quibuslibet, seu ex supradictis seu aliis causis faciendis, Ecclesiae parochiales Monasteriis quibuscunque, aut abbatibus, seu dignitatibus, sive praebendis Ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus militiisve non uniantur, et quae uniae sunt, revideantur ab Ordinariis.“

Caput II.

§. 1. Ecclesiarum reparatio commendatur Pastoribus.

Pastores et Vicepastores diligenter etiam curent, ut parochiales Ecclesiae per deputatos Fabricae Magistros, sartas tectae conserventur: Si quae vero bellorum et temporum injuria sint dirutae vel collapsae, quantocumque, ne populus ad alienas parochias, majore sui incommodo confugere cogatur, restaurentur.

§. 2. Unde illa praestanda.

Ut reparationi et reedificationi Ecclesiarum promptius consulere, in primaeva bonorum ecclesiasticorum divisione una portio fabricae earundem fuit assignata, quae si deficiat, aut impensis reparationis impar sit, decimas percipientes necessaria ministrare obligantur; aequum enim est, ut lucro gaudentes onus ei annexum etiam debeant. Quae si non sufficiant, sacri decreverunt canones, ut ejusdem Ecclesiae beneficiati pro rata reddituum; deductis ad victum et vestitum decentem requisitis, contribuant, et demum ad collectas parochianorum recurratur.

§. 3. Ad quem spectet reparatio navis Ecclesiae, turris et chori.

Verum longissimo usu receptam, et in plerisque dioecesi nostrae locis observatam est, ut qui decimas majores percipit, ad Ecclesiae parochialis navis, loci communis ad turrim cum omnibus et singulis ipsius Ecclesiae appendicibus, Pastor ad Chorum conservandam et reparandum teneatur, quam consuetudinem uti laudabilem praecipimus observari.

Caput III.

§. 1. Pastores in domo Ecclesiae proxima habitent.

Pastores aliique Curati, quo muneri sui partibus rite, prout tenentur, satisfaciant, ad residendum apud oves suas jure divino obligantur; „cum praecepto divino mandatam sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenario, rum more deserant.“ Idcirco non solum intra Parochiae suae limites habitent, verum etiam, quantum commode fieri poterit, domus pastorales Ecclesiae proximas habeant, et in iis pernoctent.

§. 2. Si domus pastoralis desit, talem conducantur.

Quod si domus pastoralis non extet, domum aliam honestam conducant, aut si familiam non alant, habitationem Ecclesiae parochiali vicinam, minime vero diversorium publicum aut suspectae familiae domicilium eligant; interim cum suis parochianis de modo et ratione domus pastoralis quantocyus aedificandae deliberent; pro singulorum siquidem Parochianorum animarum salute vel maxime necessarium est, habere Parochiam suam seu Viceparochiam noctu et interdum in Parochia assidue residentem et praesentem.

§. 3. Domus Pastorum annuè visitentur, ac reparentur.

Cum plerumque Parochiani in aedificandis aedibus pastoralibus redantur difficiliore, ex quo Curati seu Vicecurati conservationem dictarum aedium cum gravi damno neglexerint et negligent: idcirco deinceps (postquam per Parochianos debite fuerint reparatae vel aedificate) sub aestimatione a juratis scabinis synodalibus facienda, Pastori vel Vicepastori tradantur, quam haeredes sub obligatione omnium bonorum praestare tenebuntur. Praecipimus insuper, ut Archidiaconi et decani rurales aedes pastorales saepius visitent, in iisdem restauranda autoritate nostra reparari jubeant, inobedientesque nobis denuntient, ut ex eorundem redditibus necessariae reparationis impensa desumantur, et contumaces praeteritae negligentiae etiam poenas luant: Si vero ad restorationem obligati Pastores vel Vicepastores ea non facta ex hac vita migraverint, vel beneficiis suis renunciaverint, mobilia tamdiu detineantur, ne quidpiam ex haereditate, sive haeredibus, sive legataris extrahatur, donec expensae ad reparationem requisitae subministratae fuerint.

§. 4. Pastor instituendus indicem bonorum mobilium domus pastoralis et ornamentorum Ecclesiae, cui exhibere debeat.

Nullus porro Pastorum seu Vicepastorum in Pastoratu suo instituitur, qui non bonorum mobilium in domo pastorali inventorum, similiter calicum, vestimentorum, ornamentorum, librorum, et quorumcumque instrumentorum et suppellectilium ecclesiasticarum indicem, cum designatione omnium in aedibus pastoralibus destructorum, dirutorum, aut deperditorum, sese intra semestre nobis, aut vicario nostro in spiritualibus generali, vel Archidiacono loci, aut Decano suo rurali exhibitarum se sponderit, sub viginti quinque florenorum aureorum poena secus facientibus infligenda.

Nr. 5.

Jagdordnung, vom 19. Mai 1662.

Von Gottes Gnaden Wir Maximilian Henrich Erzbischoff zu Cöln etc. Thun kundt und hiemit zu wissen: Demnach Uns so wol von hiesigen

unserer Erghafft Ritterschafft, als auch sonstigen Klagen vorgebracht, welcher gestalt nit allein die Ansehndige, sondern auch einige unserer Erghafft Eingeseffene, welche keine alte und beweislich Adliche Eigge, oder andere Güter, so darzu berechtiget, haben, oder in rechtmässigen Besig und Gebrauch sich befinden, sich der Kleinen Jagt anzumassen und versehen, denselben aber ein solches billig lenger nit zugestatten oder nachzugeben: Das Wir berontwegen alle und jede, welche verdrte Jagt Verachtigkait nit vorgebracht, hiemit gnedigst gewarnt, ihnen auch bey Vermeidung unausschleiblicher Straff von fünfzig Goldgulden, und unserer Ungnadt ernstlich gebotten haben wollen, sich dergleichen Jagden nit schloffen, Fanden, Stricken und sonstigen hinführo geschlich zu müßigen und zu enthalten, unseren Ambsleuten, Schultzeissen, Wögten, Kellneren, Forstleuten und Aufsehern auff unsere Willpan, vort allen unseren Dienereien ins gemein krafft dieses ebenfals gnedigst befehlend, herauff fleißige Acht zu geben, und da sie einen oder andere wider dieses unser Verbott, freventlich gehandelt zu haben befinden werden, den oder dieselbe auff unser nechstes Ambshauß geschlich hinführen, und bis zu fernerer unser Erkennung daselbst verwarlich anhalten zu lassen. Urkundt unserer Handt zeichens und vorgebracht. Churfürstl. Secret. Passigals. Geban in unserer Residenz Stadt Bonn, den 19. May, Anno 1662.

Maximilian Henrich.

(L. S.)

Herrn Seyler.

Nr. 6.

Ergh. Stiffts Cöllnisch Rechtsordnung Maximilian Henrichs, vom 16. Merz 1663.

Wir Maximilian Henrich von Gottes Gnaden Erzbischoff zu Cöln, etc. Thun hiemit allen unseren Geistl. und Wellichen Räten, Beamten, Richtern, Wögten, Schultzeissen, Scheffen, Bürgermeistern, auch allen unsern Bedienten, Unterthanen, und sonstigen menniglichen, wes Standes, oder Würden die seyen, insgemein zu wissen: Demnach Wir bey uns betrachtet, einer jeder ordentlichen Obrigkeit vornehmliches Ancht, in dem anzusehen, das sie dahin sorglich sehen solle, auff das die Thro von Gott anbefohlene Underthanen in Gleichheit und Rechten erhalten, und menniglichen die Lust, unpartheylich, und zwar ohne vergessliche und unnothige Unkosten und Umkehrung ertheilt werden möge. Und dan Wir unter wechender unserer Churfürstlicher Regierung angemerckt, das viele schädliche und kostbare Streitigkeiten bey denen Gerichten, auß dem entstanden, das die Parteyen ein oder andertheils sich entweder auff gemeine Landts- oder aber absonderliche Statt- oder Ambs hergebracht, von denen beschriebenen Rechten abweichende Gewonheiten beruffen, und da solche von dem Gegentheyl nicht gestanden, sondern widersprechen, eine